

Bedick de Brunswig, Iohannes Sutoris de Erlebach, petiverunt dimissionem burse et obtinuerunt tam pro exercicio quam signeto docentes paupertatem suam iuxta statuta.

### 1475 Sommersemester. 132. Decan Iohannes Fabri von Krossen.

M 91. Decanatus magistri Iohannis Fabri de Crossen, sacre theologie baccalarii formati, de nacione Polonorum. Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto die vero mensis Maii [!] vicesima secunda in Sabatho ante festum sancti Ieorgy martiris convocatis magistris omnibus de consilio facultatis arcium pro electione novi decani factus fuit saltus decanatus officii de nacione Bavarorum per nacionem Saxonum ad nacionem Polonorum, et tunc electus fuit per saltum in decanum facultatis arcium magister Iohannes Fabri de Crossen de eadem nacione Polonorum. Apr. 22.

Clavigeri mgr. { Richardus de Cellis  
Iohannes Spyeß de Rutenberga } de nacione { Saxonum  
Bavarorum.

Executores statutorum mgr. { Hynricus Thime  
Iohannes Spyeß } de nacione { Polonorum  
Bavarorum.

Taxatores mgr. { Petrus Hofeman  
Richardus de Cellis  
Wenceslawus de Wytchenaw  
Ieronimus Wonsidel.

Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto in vigilia sancte Trinitatis facta plenaria convocacione magistrorum de consilio facultatis mgr. Iohannes Vernigerade de Gottinghen et bacc. Adalbertus Theschner de Thorn, ambo in alma universitate Coloniensi promoti, prehabitis responsionibus suis in ordinaria magistrorum disputacione iuxta laudabilem nostre alme universitatis consuetudinem et ostensis monumentis et documentis eorum promotionis sufficientibus assumti sunt ambo ad gremium facultatis arcium iuxta eiusdem facultatis consuetudinem laudabilem hactenus observatam. Mai 20.

Item anno domini, quo supra, proxima feria quinta post [!] festum sanctorum martirum Nerey, Achillei, Pancracy, que fuit undecima dies mensis May, facta plenaria congregacione magistrorum de consilio facultatis arcium per nuncium iuratum universitatis cedula more solito per decanum sibi traditam manibus suis ad magistros de consilio facultatis tunc deferentem tali tenore conscriptam: „Reverende magister, sitis hodie hora undecima in stuba facultatis ad audiendum petitiones dominorum doctorum de nacione Saxonum et ad consulendum desuper sub pena non contradicendi, et sicut diligitis bonum facultatis!“ Et audita proposicione et petitione trium dominorum doctorum de nacione Saxonum nomine tocius nacionis et ea exaudita conclusum fuit tunc concorditer per magistros de consilio facultatis, quod saltus pro electione novi decani factus de nacione Bavarorum ad nacionem Polonorum, pretermissa nacione Saxonum, debeat esse sine preiudicio nacionis Saxonum, sic quod per mutacionem hyemalem proxime sequentem eligatur decanus de nacione Saxonum, et quod exposit in ordine suo pristino et priori nacio Saxonum per amplius in estate retineat decanatum, et quod hec concordia scribatur ad librum facultatis et copia huius concordie detur per manum decani facultatis seniori nacionis Saxonum. Mai 11.